

videor Rebecam parturientem, doloribus coangustatam. Ut enim in ejus utero collidebantur Jacob et Esau parvuli, dum alter altero prior lucem aspiciere volebat, Gen. XXV. ita in animo Pilati collidebantur Christus et Judæi; illius innocentia, horum violentia. Illa Christum absoluebat, hæc vero condemnabat. Conabatur quidem Pilatus præ Judæis eniti Christum, concedendo in hujus causam. Sed prævenit Esau populus Judæorum, Christo fratri suo infensus; condemnatus est Jacob. Cæterum quod ibi dictum est: *Major serviet minori*, id etiam hic evenit; servit enim Judaismus christianismo usque in hunc diem. Porro nunc videndum quid actum sit cum Christo partim circa examen, partim circa ostensionem.

Circa examen.

I. *Pilatus ingressus est prætorium iterum, et dixit ad Jesum: Unde es tu?* Iteratum, hoc examen instituit. Primo, ut judicium prolongaret, si forte ratio inveniri posset liberandi Christum. Secundo, ex timore quo percussus erat, audiens a Judæis, quod Christus Filium se Dei fecerit; præsertim; quia etiam ipse dixerat regnum suum non esse de hoc mundo; item quia ab uxore monitus erat; denique, quia magnum aliquid ex prudentia Christi, vultusque majestate poterat conicere. Hinc ergo interrogat: *Unde es tu?*

II. *Jesus responsum non dedit ei.* Primo, quia responsionis ad tam sublimem questionem, non erat capax Pilatus, utpote gentilis. Quomodo enim poterat nosse Filium Dei, qui non noverat Deum? Secundo, quia Pilati interrogatio concernebat solum Christum. Quando enim questio aliqua spectabat ad Dei gloriam vel salutem et bonum nostrum, tunc solebat respondere. Pro se et sua defensione noluit respondere, quia mortem suam adeoque redemptionem nostram impedivisset. Ecce tibi gallinam illam pro pullis sollicitam et loquentem, pro seipsa tacentem.

III. *Dicit ei Pilatus: Mihi non loqueris: nescis quia potestatem habeo crucifigere te, et potestatem habeo dimittere te?* Extrusit hoc verbum primo, fastus et insolentia, quæ fere dignitatem comitatur et potestatem, cum potius meminisse deberet illud Eccles. c. XXXII. *Rectorem te posuerunt; noti extolli, esto in illis quasi unus ex ipsis.* Secundo, imprudentia, non enim eo ipso, quod constitutus erat iudex, potestatem habebat agere quod vellet; sed obstringebatur legibus, ut non quod ipse vellet, sed quod justum est judicaret.

IV. *Respondit Jesu: Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper: propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* Duo interrogantis Pilati vitia duplici virtute

retundit Dominus. Primum mansuetudine, qua velut molli lana inflatam Pilati objurgationem excipit. Secundum charitate, qua ignorantem instruit. Primo, docens potestatem, quam habet, a Deo illum habere, adeoque non nisi ad judicandum, id quod justum est. Qua de re audiant magistratus et iudices Sapientem, c. VI. Sap. *Audite, reges, et intelligite, ait, discite iudices finium terræ, præbete aures vos, qui continetis multitudines et placetis vobis in turbis nationum. Quoniam data est a Domino potestas vobis et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra et cogitationes scrutabitur. Quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis, nec custodistis legem justitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrende et cito apparebit vobis; quoniam judicium durissimum his qui præsumunt fiet.*

*Exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur.* Secundo, innuit se ejus potestati nequaquam esse subjectum, nisi quatenus illi a Deo singulari dispensatione permissum est, nequaquam tamen concessum ut damnetur. Viderit proinde quid agat; propterea enim qui se illi tradiderunt, Pharisæos gravius peccasse; quia scilicet eum, in quem jus nullum habebant, ex mera invidia accusarunt et necari per fas et nefas faciunt: cum hoc idem Pilatus metu solum et importunitate Judæorum adactus facturus esset; hic homo ethnicus et ignorans, illi vero Judæi, legisperiti et de Christo suo multa edocti.

V. *Exinde quærebat Pilatus dimittere eum.* Primo, ob ejus innocentiam toties assertam. Secundo, ob religionem, quam nunc primum hauserat, metuens ne plus aliquid homine in Christo esset. Tertio, ob peccati metum, quod incursum eum submonebat Christus. Funiculus hic triplex jam trahebat Pilatum ad partem æquitatis et dimittendum Christum.

VI. *Judæi autem clamabant dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari.* Nunc tandem omne venenum suum, effundunt et bombardam adhibita murum illum, Pilati animum hactenus stantem, quatiant; Cæsaris inimicitiam denuntiant. Magna res ad speciem: sed revera non nisi sagitta parvulorum erat.

Circa ostensionem.

I. *Pilatus cum audisset hos sermones, adduxit foras Jesum, et sedit pro tribunali in loco qui dicitur Lithostrotos, Hebraice autem Gabbatha.* Ecce tibi arundinem vento agitatam! Trepidavit imprimis timore, ubi non erat timor. Quid enim imperator Rom. regem hunc curasset? Quid Judæi accusando poterant Pilato nocere? Deinde Cæsaris

gratiam præposuit justitiæ adeoque gratiæ Dei, ideoque utramque perdidit, et utriusque iram incurrit. Nam et a Deo damnatus et: *A Cæsare relegatus est*, ut scribit Orosius, l. IV. *tantis irrogante Caio angoribus coarctatus est, ut sua se transverberans manu, malorum compendium mortis celeritate quæsierit.* Ita nimirum omnes qui Deo contempto mundo placere volunt et mundum et Deum perdunt. Ergo Christus jam dimittendus nova injuria et majori ignominia retrahitur ad judicium, cujus locum Joannes nominat Græce Lithostrotos, id est, lapidibus stratum: Hebr. vero Gabbatha, id est excelsum: tum ob veritatem historiæ, tum ut sciretur judicium hoc publicum et solemne fuisse, utpote judicium totius mundi, in quo contendebatur de vita Filii Dei, de salute hominum, de ejectione dæmonum.

II. *Erat autem parasceve, hora quasi sexta.* Parasceve præparationem significat, quia eo die præparabantur cibi ad sabbatum sequens, quo non poterant ex lege parari. Hunc diem judicio et morti suæ elegit Christus, quia tunc præparabat orbi toti cibos spirituales, merita, sacramenta, gratiam, gloriam, quibus dixerat Matth. XXII. *Ecce prandium meum paravi, tauri mei et altitia occisa sunt, et omnia parata; venite ad nuptias.* Hora vero quasi sexta, quia circa eandem horam peccaverat Adamus; siquidem post meridiem abscondere se cœpit; ergo paulo ante meridiem peccaverat. Et quia tunc noster sol justitiæ ad summum amoris gradum ascendere incipiebat; meridiem ipsa seu hora sexta crucifixus, summum cœli tenuit, juxta id Psalm. XVIII. *Occursus ejus (solis) usque ad summum ejus, nec est qui se abscondat a calore ejus.*

III. *Dicit Pilatus Judæis: Ecce rex vester.* Ex mente quidem sua, ut Judæos adhuc emolliat ad compatiendum misero; sive ut hortetur ad sanam mentem, quæ intelligat stultum esse et indignum hominem tam miserum et imbellem sub affectati regni prætextu condemnare, sive ut rideat Judæos, quos non pudeat insanire in tam ludicrum regem suum. Ex mente vero Dei, veritatem eis denuntiat, quemadmodum et in titulo crucis regem eum Judæorum nominavit, nec aliter scribere voluit. Cum audissent fratres Josephi somnium ejus, quo dicebat manipulum suum adoratum fuisse a manipulis eorum, indignati illi dicebant: *Numquid rex noster eris? Aut subjiciemur ditioni tuæ?* Ergo ut somnium hoc eluderent, dicebant: *Ecce somniator venit; venite, occidamus eum et tunc apparebit, quid prosint illi somnia sua,* Gen. XXXVIII. Sed nequaquam poterunt evertere virtutem; impletum est enim somnium, et adorare debuerunt fratrem, utpote

II. PARS HIEMALIS.

principem in Ægypto factum, ut patet, Gen. XLII. Eodem modo Pilatus velut oraculo quodam annuntiat illis regem suum. At Judæi indignantur; apage hunc regem: *Tolle, crucifige.* Sed nihil efficitis miseri. Rex vester est et erit, quem nolentes aliquando cœgemini adorare, et vero nunc adoratis, dum Christianis subestis.

IV. *Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum.* Ecce tibi pueros illos nequam, qui ascendenti in Bethel Elisæo succlamabant: *Ascende calve, ascende calve.* Quid enim illud isti dicunt, quando in Christum clamant: *Tolle, tolle,* quam Ascende in Calvariam? Verum uti ex illis pueris quadraginta duo lacerati sunt ab ursis duobus e saltu egressis, IV. Reg. II. ita et Judæi illi a Tito et Vespasiano Roma venientibus, misere laniati et pene omnes deleti sunt.

V. *Dicit illis Pilatus: Regem vestrum crucifigam?* q. d. nonne hoc in probrum et ignominiam gentis vestræ cadet, si dicatur passim regem vestrum a me crucifixum esse, et quidem vobis postulantis? Quomodo infamiam hanc delectis?

VI. *Responderunt pontifices: Non habemus regem nisi Cæsarem.* Ecce hic abjecit populus Hebræorum aquas Siloe (quod interpretatur missus,) inquit S. Joannes, c. IX. et significat Christum, quæ vadunt cum silentio, id est, Dei sui tutelam, et assumpsit magis Rasin, id est, Cæsarem; propter hoc adduxit Dominus super eos *aquas fluminis fortes et multas,* (regem Assyriorum figurate) Romanorum Titum, qui delevit eos; quemadmodum et rex Assyriorum flagellum et vastator eorum factus est, Isa. VIII. Deinde produnt hic contra seipsum tempus advenisse Messiæ sibi promissi, utpote post sceptrum a Juda ablatum. Debebant ergo cogitare, numquid ipse est Christus? Denique produnt plusquam Vatinianum odium suum. Ne enim vivat Christus et rex illorum evadat, (quæ metuebant) malunt potius sustinere jugum ethnici imperatoris, tametsi alioquin sibi molestissimum. Habeant ergo sibi quem elegerunt regem: regem vastatorem, regem exterminatorem. Sibi imputent, quod jam prostrati et per orbem undique dispersi jacent, ut ne angulum quidem mundi proprium habeant, sed precario terram incolant. *Sic voluerunt,* aiebat Julius Cæsar de factiosis quibusdam civilibus ad internecionem usque deletis. Verum veniet tempus, quando regem hunc suum fuisse agnoscent, audientque dicentem: *Inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc et interficite ante me,* Luc. XIX. Nos vero cum Davide dicamus: *Reus meus et Deus meus.*

## § XXIII. — CONDEMNATUR JESUS.

I. Pilatus lavat manus. — II. Innocentem se fatur. — III. Respondet populus: *Sanguis ejus super nos.* — IV. Addit: *Et super filios nostros.* — V. Pilatus ad-judicat eis Christum. — VI. Dimittit eis Barabbam iniquissime.

## THEMA.

*Tunc tradidit eis illum, ut crucifigeretur.* Joan. XIX.

Diu hactenus laboratum est a Pilato, ut Christum liberaret, et eriperet Judæis; sed nihil est effectum. Sitebant Christum Judæi; sine illius sanguine non potuit horum sitis ullo modo restingui. Contigit ergo Christo, quod olim Jonæ prophetæ, qui profugus a Dei facie, dum navigio veheretur, exestuante in illum mari, mittendus fuit in mare, idque exigente sorte, quæ in eum ceciderat. Sed enim quam inviti fecerunt istud nautæ, quem Deo quidem nocentem, sibi vero innocentem sciebant? Nam hoc ut fugerent, remigabant fortiter ut remearent ad terram eumque in terram deponerent, sed frustra; quia *mare ibat et intumescerebat super eos.* Ad extremum igitur, cum effugium non esset, protestati sunt innocentiam suam, priusquam ejicerent Jonam, dicentes: *Quæsumus, Domine, ne pereamus in anima viri istius, et ne des super nos sanguinem innocentem: quia tu Domine sicut voluisti, fecisti.* Jon. I. Similem in modum Christus, qui cum personam Adami et posteriorum ejus (qui omnes in patre suo fugerunt a facie Domini et absconderunt se in paradiso) sustineret, morti destinatus erat, exigente Dei justitia. Sed enim quam difficulter condemnavit eum Pilatus, quem vidit innocentem? Remigabat, laborabat, ut servaret illum. Sed impii Judæi quasi *mare fervens instabant vocibus magnis postulantes ut crucifigeretur; et invalescebant voces eorum,* ut ait S. Luc. XXIII. Itaque et Pilatus testari voluit innocentiam suam, antequam eum traderet; sed non æquali jure. Nam primo plusquam Jonas hic. Deinde Jonas reus; iste innocens fuit. Denique nautæ illi aliud agere non poterant; Pilatus si voluisset, aliter judicare potuisset. Itaque peccata nostra Christum demerserunt. Nunc pergamus.

I. *Pilatus accepta aqua lavit manus coram populo.* Primo, ut hac cæremonia culpam a se in Judæos rejiceret, suamque innocentiam contestaretur; quasi vellet mentem suam ita puram esse a Christi sanguine, quomodo manus suas facta lotionem puras esse a sordibus voluit. Sic jubentur seniores, Deut. XXI. manuum lotionem se purificare a patrata cæde, dicendo: *Manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc.* Sed nihil juvit Pilatum

externa hæc cæremonia, quia mendax erat, testificans esse innocentem Pilatum, qui nocens erat. Voluit haberi justus, sed noluit esse Pilatus. Mundavit id quod de foris est *paropsidis: intus autem plenus fuit iniquitate.* Unde Augustin. serm. CXVIII. de temp. *Laverit, inquit, licet manus Pilatus, tamen sua facta non diluit.* Nihil plus juvat Christianum gestare in manu rosarium, tundere pectus, aliasque adhibere cæremonias christianæ pietatis indices, nisi cor illis respondeat.

Secundo, ut Christi etiam innocentiam iterum ostenderet, dum enim vult manus suas ab ejus sanguine puras esse, hoc ipso ostendit ejus innocentiam, cujus sanguinem a manu sua noluit requiri. Voluit autem divina providentia hoc Pilati testimonio Christi innocentiam facere probatissimam, ut indubie constaret, eum non pro suis, sed aliorum peccatis mortuum esse.

Tertio, ut hac ratione conscientiam Judæorum gravissima reddendæ rationis mole premeret, q. d. aqua et lotio ista erit vobis in testimonium vestræ iniquitatis; unde addit: *Vos videritis,* quomodo videlicet Deo vestro pro hoc sanguinespondeatis. Fit ergo hæc cæremonia postremus et fortissimus aries obstinatis Judæorum cordibus adhibitus, minis et terrore vel iræ Cæsariæ, vel saltem judicii divini armatus, quo si fieri posset, quassarentur et a tam immani facinore revocarentur. Sic Daniel. cap. XIII. Susannam ab iniquo judicio liberare volens exclamavit: *Mundus ego sum a sanguine hujus.* Verum ille Susannam et innocentem pronuntiavit et a nece liberavit; Pilatus vero sibi contrarius, ad necem tradit, quem innocentem pronuntiat.

II. Addit verba: *Innocens ego sum a sanguine justi hujus.* Vos videritis. Fecit hoc primo, ut si qui forte cæremoniam lotionis non intelligerent, verba intelligerent.

Secundo, ut fortius Judæorum animos percuteret, quasi addens ad fulgur tonitru. Sed surdis cecinit Pilatus: non penetravit saxea corda etiam hoc verborum telum; *peccator enim, cum in profundum venerit, contemnit.*

Tertio, ut se efficacius a culpa immunem comprobaret. Laborabat enim Pilatus non tam ut Christum innocentem e manibus Judæorum eriperet, quam ut se purgaret et ab ira Cæsaris expeditet. Unde ad suam defensionem nihil non molitur. Ita nimirum homines horrent videri et dici mali: (tanta est peccati deformitas) sed ne sint mali, susque deque habent. Verum quid juvat coram hominibus probare te bonum, si coram Deo malus sis? *Si laveris te nitro,* inquit Jeremias, c. II. *et multiplicaveris tibi herbam borith:* (qua solent uti fullones ad eluendas maculas)

*maculata es iniquitate tua coram me, dicit Dominus.* q. d. frustra purgas te humanis excusationibus. Unde sequitur: *Quomodo dicis, non sum polluta?* etc.

III. *Respondit universus populus: Sanguis ejus super nos.* Nullus fuit qui pro Christo loqueretur inter tot orbis advocatos et amicos, sed omnes unanimiter contra ipsum sunt locuti. Primo, quia a senioribus et principibus omnes in transversum acti fuerant et in ipsorum partem tracti, nec tutum erat contradicere potentioribus et pluribus. Sic ethnicorum sapientes aliqui licet Deum unum agnoscerent, idola tamen venerati sunt, ne principi et toti vulgo contradicerent. Quam igitur periculosum est, jungere se malis?

Secundo, quia pro omnibus patiebatur, ideo ab omnibus impugnatus et desertus fuit. *Omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei,* (ad Rom. III.) id est, gratia, seu Christo, ut exponit Cyrillus, lib. de recta fide. Omnes sordebant peccatis, ideo omnes desiderarunt balneum sanguinis Christi; tametsi mens populi hic alia fuit.

Tertio, quia calamitas facit recedere amicos. Hirundines per æstatem habitant cum hominibus, hieme recedunt. Ergo in solatium pauperum et innocentum, quibus nemo patrocinatur, omnium patrocinio voluit destitui.

IV. *Dixit: Sanguis ejus super nos et super filios nostros.* Dicunt hoc primo, ut addant animum Pilato trepidanti, quasi nihil ei metuendum sit vindictæ; vel si aliquid periculi propter hoc ipsi immineret, se capita sua pro ipso offerre spondeant, quasi dicerent: *In nos sit maledictio tua, sicut Gen. XXVII. Rebecca dixit Jacob; cum tamen hoc pacto Pilatum a culpa et vindicta Dei non eximant.* Vide impiorum perversitatem, qui ut optatis potiantur, seipsos devovent. Sic Agrippina Neronis mater audiens, a filio se necandam, si imperator fieret: *Occidat, ait, modo imperet.*

Secundo, ut ostendant se non temere, sed prudenti et maturo consilio Christum ad necem condemnasse, quasi nihil sibi timere habeant. Ita nimirum reprobi defendunt iniquitatem suam, jurant, pejerant; nec est iniquitas tam grandis, quæ non velit videri æquitas.

Tertio, ex permissione divina, ut seipsos condemnent impii, adeoque sibi imputent, si jam ipsi et filii eorum luunt, quod sibi imprecati sunt. Ita insaniunt qui nullis inferni comminationibus vel suppliciis coerceri a flagitiis possunt, quemadmodum Julianus apostata vulneratus ad mortem, sanguinem proprium, quo manum implebat, versus cælum jactans, iram Christi vindicis in seipsum concitavit, dicens:

*Saturare, Galilæe.* Qui est imus ad infernum gradus.

V. *Tunc Pilatus adjudicavit fieri petitionem eorum.* Fecit hoc primo et potissimum, ob ambitionem timens ne perderet gratiam Cæsaris, uti indicat Joannes. Ita nimirum sanguinaria est ambitio, ut etiam innocentissimos perimat, quo sibi honorem stabiliat. Cæterum, quia Pilatus magis laboravit placere imperatori quam Deo, utriusque gratiam perdidit, ab illo in exilium, ab hoc in infernum actus.

Secundo, ob clamorem et importunitatem populi, cui resistere non audebat prætor pusillanimis, cum tamen judex nullis populi contradictionibus a justitia deflectere debeat, juxta id Ex. XXIII. *Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut a vero devies.* Judæis similes fiunt, qui nullis rationibus ac monitionibus acquiescunt, ad faciendum id quod rectum est: Pilato vero, qui in gratiam aliorum agunt contra conscientiam suam.

Tertio, ob totius multitudinis opinionem et consensum; ita ut non auderet absolvere, quem omnes condemnarent. In quo etiam stulte egit, quia ut Socrates ait apud Laert. I. II. c. V. *Qui multitudinem imperitam sequitur, perinde agit ac si unum nummum adulterinum rejiceret, et acervum e similibus congestum approbaret.* Nihil magis sapiunt multi imperiti, quam unus imperitus.

VI. *Dimisit illis Barabbam; Jesum vero tradidit voluntati eorum.* Iniquissimum fuit hoc Pilati judicium. Primo, quia insignem homicidam dimittit, innocentem damnat. Ita nimirum *dat veniam corvis, veat censura columbas.* Nemo corvis laqueos tendit, sed columbis, quia ab his fructus speratur, non ab illis. Quæ autem innocentia in mundo tuta esse potest, si Christi innocentia tot virtutibus et miraculis comprobata coram tantis judicibus; in tam sancta civitate non fuit tuta?

Secundo, quia S. Leo, serm. III. de pass. ait: *Isdem labiis mittit Jesum in crucem, quibus eum pronuntiavit innocentem.*

Tertio, quia nimirum fecit tradendo Christum voluntati hostium suorum, ut pro sua libidine insanire in eum possent. Non est hoc æqui judicis; sed statuere modum et mensuram supplicio. Verum hoc ita factum est primo, quia Christus erat granum frumenti, multis tradendum, et multis modis mortificandum, antequam homini alimentum et vitam præberet. Ut enim frumentum primo, a Domino traditur messoribus, ab his agricolæ ut colligatur, horreo inferratur, trituretur vel flagellis excutiatur et ven-

tiletur; ab hoc molitori, ut teratur et comminatur in farinam; ab hoc pistori, ut subigatur et in fornace coquatur; ab hoc dentibus manducantium, ut scindatur, frangatur et masticetur pro eorum libitu; ab his ventriculo, ut digeratur; ab hoc demum membris totius corporis, ut inde alantur et vivant: ita omnino Christus ut nobis vitam daret primo, traditus est a Deo Patre in manus pessimi messoris Judæ, qui eum tradidit triturantibus, militum scilicet cohorti, ligandum, trahendum, percutiendum. Hæc tradidit eum Annæ et Caiphæ, ubi inter duos lapides molares quodammodo contritus, percussus et reus mortis proclamatus est. Hinc traditus est Pilato, ubi flagellis subactus, a militibus illusus et coronatus, quasi in camino tostus fuit. Ab hoc traditus Judæis et militibus veluti dentibus ad libitum masticandus et comminuendus. Unde clamarunt per proph. *Mittimus lignum in panem ejus*. Ab his traditus est morti quasi in ventrem terræ omnino consumendus. Sed mors tradidit eum membris Ecclesiæ totius; unde nos omnes vivimus. Secundo, quia nos ob peccata nostra debebamus tradi voluntati tortorum infernalium, juxta id Matth. XVIII. *Tradidit eum tortoribus, etc.* Itaque pro nobis tradi voluit Christum voluntati carnificum, ne traderemur nos juxta id apost. Rom. VIII. *Pro nobis omnibus tradidit illum.*

§ XXIV. — CHRISTUS BAJULAT CRUCEM.

I. Exuunt cum purpura et induunt suis vestibus. — II. Bajulat sibi crucem. — III. Substituunt Simonem Cyrenensem. — IV. Sequitur multa turba, et plangunt mulieres. — V. Affatur Dominus mulieres. — VI. Ducuntur cum eo duo nequam.

THEMA.

*Bajulans sibi crucem exivit.* Joan. IX.

Solent magnæ et celebres pompæ, quibus viri principes introducuntur in civitates et alia spectacula, a sculptoribus et pictoribus delineari et publicari. Mirum et ab orbe condito inauditum spectaculum visum est Jerosolymis, quando cœli et terræ rex nova et mira pompa eductus ex urbe ad supplicii locum, suam ipse gestavit crucem. « Grande spectaculum (inquit S. Aug. tr. CXVII. in Joan.) Sed si spectet impietas, grande ludibrium; si spectet pietas, grande mysterium. Si spectet impietas, videt regem pro virga regni, lignum sui portare supplicii; si pie-

tas spectet, videt regem bajulantem lignum ad semetipsum figendum quod fixurus erat etiam in frontibus regum, etc. » Hoc cum ss. patres multis retro sæculis in spiritu prævidissent, variis coloribus depinxerunt. Abraham imprimis, quando fasce lignorum oneravit humeros filii a se immolandi. Deinde Jacob patriarcha, quando in baculo suo transivit Jordanem, pergens in Mesopotamiam. Postea Moyses, quando virgam manu tenens eduxit Israel ex Ægypto per mare rubrum in terram promissionis. Post hunc dux Abimelech, quando ramum quercus sustulit in humeros, monuitque suos milites ut id ipsum facerent. Denique David, quando cum pastorali baculo processit contra Philisthæum. Hoc ergo nunc spectaculum quod isti a longe tantum et per umbram viderunt, nos propius intueamur.

I. *Exuerunt Christum purpura, et induerunt eum vestimentis suis.* Primo, ut magis agnosceretur, in veste inquam propria, quam in aliena. Studebant enim famam ejus modis omnibus conspurcare et nomen exosum reddere. Erat autem facies Domini adeo deformata sputis, alapis, sanguine, ut in aliena veste vix agnosci posset.

Secundo, ut hac vestium mutatione vulnera ejus renovarent, (quod utique factum est, veste priore vulneribus inhærente), adeoque novum cruciatum adderent. Quem quidem post plures præcedentes mutationes pati voluit Dominus, ad compensandam et castigandam hominum superbiam, qui toties permutant vestes vestibus, ut quotidie fere novo fastu novi conspiciantur.

Tertio: *Ut vestes simul cum morte exueret,* ait S. Athanas, ser. de passione Dom. et cruce. Puto ut ostenderet se tam prompte et libenter pro nobis mori, quam qui vestes exuit, cubitum iturus: quod de se dixit cardinalis Polus, cum ab Angliæ rege, impio Henrico VIII. ad necem quæreretur; corpus enim est vestis animæ.

Quarto, ut impleretur id quod scriptum est de ejus tunica inconsutili: *Super vestem meam miserunt sortem.* Denique, ut doceret unumquemque in suis virtutum vestibus ad mortem esse iturum, non in alienis, tametsi forte in hoc mundi theatro alias gestarit: *Nihil intulimus in mundum, nil efferemus.* Sola opera vere nostra sunt, et hæc sola nos sequentur.

II. *Exivit bajulans sibi crucem.* Primo, quia crucis lignum adeo probrosum et maledictum erat, ut nemo honestus id vellet tangere, ideo crucifigendis ipsis gestandum erat. En tibi quam verum illud Ps. XXI. de pass. scripti: *Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis.*

Secundo, quia bonus Dominus noluit quem-

quam fatigari aut vexari propter se, juxta id Isa. LXIII. *Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum.* Quod vero postea translata est crux in Simonem, militum libidine factum est. Christus id non petiit. *Volens crucem sibi ipsi ferebat; neque enim necessitate compulsus accessit ad mortem,* inquit S. Athan. serm. cit.

Tertio: « Quia decebat, (ut ait S. Athan. loc. cit.) victorem jam triumphantem de diabolo, non alteri concedere, sed sibi suum trophæum gestare. » Vel, ut Euthymius ait: « Ferebat crucem tamquam strenuus miles lanceam, qua dejecturus erat adversarium. »

III. *Apprehenderunt (in egressu) Simonem quemdam Cyrenensem, venientem de villa, et imposuerunt illi crucem portare post Jesum.* Fecerunt hoc primo, non ex misericordia, sed ex crudelitate, metuentes ne Christus in via deficeret utpote fractis viribus, adeoque crucem effugeret; aut si moram traherent, revocaretur forte sententia a Pilato.

Secundo, ut Dominus indicaret: *Se non suam sed hominum mortem obire,* ut ait S. Athan. serm. dicto.

Tertio, ut sciremus a nobis etiam post Christum gestandam esse crucem; nec satis esse, quod Christus pro nobis eam tulerit, sed oportere ut eandem cum Simone saltem levemus a terra nonnihil, quo videlicet passionem Domini per opera penitentiam nobis applicemus. Ad hanc gestandam crucem Christus sæpius nos invitavit. Licet autem caro reclamet, ad hoc tamen angarianda et cogenda est.

Quarto, typice notatum est idem Ecclesiæ Christi eventurum ut videlicet a tyrannico angarietur ad tollendam et perferendam Christi crucem per martyrium, aliasque persecutiones et tribulationes; idque futurum Simoni, id est, obedienti cuique et pio Christiano, quod prædixit Dominus Petro: *Simon Joannis, cum senueris, alius cinget te et ducet te quo non vis,* Joan. ult.

Scribitur hic Simon fuisse pater Alexandri et Rufi. Primo, ad majorem historiæ fidem faciendam.

Secundo, quia tunc, cum hæc scriberentur, filii ejus Alexander et Rufus, celebres in Ecclesia fuisse colliguntur, quam illis fidem æque ac sibi meruit Simon gestatione crucis; neque dubium est, postea filios illos maximo sibi honori duxisse, quod eorum pater gestarit crucem Christi.

IV. *Sequebatur illum multa turba populi et mulierum, quæ plangebant et lamentabantur eum.* Turba multa sequitur eum. Primo, quia spectaculum hoc inauditum pro toto orbe institutum

et toti orbi notificandum coram multis edi debuit. Et hæc est causa, cur nemo unus contradicere visus sit evangelicæ historiæ, quasi falsum scripsissent evangelistæ, licet alioqui Judæi Christi infensissimi fuerint.

Secundo, quia denotabat ingentem Christianorum multitudinem Christum secuturam, quamvis inter eos magna esset futura diversitas. Ut enim in turba illa quadruplex hominum genus fuit; primum carnificum, qui trahebant et premebant Christum; secundum pontificum et seniorum, qui Christo illudebant; tertium eorum qui ad spectandum venerant; quartum eorum qui plangebant Christum: ita Christianorum quatuor sunt species, quarum ultima tantum Christum, sicut debet, sequitur. Alii enim Christum trahunt et premunt ut hæretici. Alii illudunt qui fatentur se nosse Christum, factis autem negant, et diabolo potius serviunt quam Christo. Alii Christi spectatores tantum sunt inutiles, ut qui aspiciunt quidem vitam Christi per fidem, sed operibus non imitantur, fidem habent mortuam, operibus bonis carent. Alii vero Christiani sunt qui post Christum ambulant per amorem et compassionem. Primi possent dici terra secus viam. Secundi, terra spinosa. Tertii, terra petrosa. Quarti, terra bona.

Plangunt autem mulieres tantum, primo, quia sexus est tenerior et pronior ad lacrymas et compassionem.

Secundo, quia securius poterant Christi innocentiam dare testimonium per lacrymas, quam viri, qui mox observati fuissent et puniti.

V. *Conversus ad mulieres dixit: Filie Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete et super filios vestros. Quoniam ecce venient dies in quibus dicent: Beatæ steriles et ventres qui non genuerunt, et ubera quæ non lactaverunt. Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos; et collibus: Operite nos. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Dixit hæc Christus non ut earum planctum improbaret; sed primo, ut eas instrueret, mortem suam non ita esse flendam sicut mortem hominis vulgati, qui mortem evitare nequeat; nec sicut extremam calamitatem, qualem Christo inferre Judæi sperabant et studebant. Mors enim Christo erat voluntaria, deinde momentanea seu tridua tantum, denique toti humano generi utilissima et Christo ipsi gloriosa.

Secundo, ut eas a suæ mortis deploratione abducat in deplorationem majoris calamitatis, multo magis deplorandæ, quæ Jerosolymitanis immineret in excidio urbis, et omnibus denique reprobis in excidio orbis. Imprimis communes